

**Dissertatio medica inauguralis, de somno ... / eruditorum examini subjcit
Robertus Cleghorn.**

Contributors

Cleghorn, Robert.
Lister, Dr
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, 1783.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hh6x98my>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS, 5
DE
S O M N O:

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;
NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit
ROBERTUS CLEGHORN,
SCOTUS.

Soc. Reg. Med. Edin. Soc. Ext.

Nec non

Societ. Reg. Antiq. Scotic. Soc. Cor.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

Somne, quies rerum, placidissime somne Deorum,
Pax animi, quem cura fugit, Qui corda diurnis
Fessa ministeriis mulces, reparasque labori! OVID.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIII.

DISSERTATIO MEDICA
IN AUGUSTO
DE

S O M N I O

GEORGIO CLECHORNI, M.D.

ANNUNTIAE AVUM NUMINE

Ex Augustine Reuerendissime

Reuerendissime in Coll. T. J. J. J.

D. GUILLIELMO ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIE EDINBURGENSIS, Praesentis

Artis Medicae

AMPLISSIMO SENATUS ACADEMICI

ET ACADEMIAE FACULTATIS MEDICAE

PRO GRADU DOCTORATUS

EXAMINATA IN MEDICINA

IN ACADEMIA EDINBURGENSI

EXAMINATA SUBJUDICIO

ROBERTUS CLECHORN

Inter primos

Scotus

Edinburgae, 187c

Pro

Scotus, 187c

Summae oblationis testimonium

Ad hunc 187c, 187c

Summae oblationis testimonium

Summae oblationis testimonium

Summae oblationis testimonium

ROBERTUS CLECHORN

APRILIS 187c

Academicae Typographiae

Edinburgae

GEORGIO CLEGHORN, M. D.

Rei anat. in Coll. Dubl. Praeceptor,

Artis Medicae,

Laboribus ejus scriptisque,

Excultae admodum atque ditatae,

Inter primos perito,

Hanc Dissertationem,

Summae observantiae testimonium,

Dicat

ROBERTUS CLEGHORN.

Dr Lister

as a small mark
of Esteem & Gratitude
from
His Friend & humble Ser

The Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

SOMNO.

UT lux ac tenebrae, ita somnus et vigilia, semet semper invicem excipiunt. Huic legi non modo animalia, sed vegetabilia quoque, parere videntur. Signa, ut et tempora dormiendi, sunt aliis in herbis alia. Vix ulla hora est, qua non abdormiscit vel expergiscitur aliqua *, et ordo foliorum, ut nempe flos tenellus contra frigus nocturnum optime defendatur, est admodum varius.

Quinetiam, animalia plurimas exhibent varietates. Pleraque noctu dormiunt, non tamen

A defunt

* Linnaei Horolog. Plant.

defunt quae tunc vigilant ac praedantur. Bubo et felis sunt exempla.

Sopor quorundam complures menses durat, ut in glire, hirundine, multisque aliis videre est; alia sine somno diutissime degunt; pisces enim aliquot, navem rapidam, diesque noctesque, sectantur, ita ut somno necessario sit parvus vel nullus. Hic tamen ager latior est quam ut eum peragraré audeam. Omnibus hujusmodi igitur dehinc omissis, ad hominem animum advertam, inde fere tota descriptio deprometur, eo omnia ratiocinia spectabunt.

Cum singulis naturam somni, et conspectu aliorum, et propria experientia considerare licet, cum praeterea plurimi auctores, ab Aristotele ad Hallerum usque, hanc rem illustrare fuerunt aggressi, cuncta ad eam attinentia fore certa, forsitan nonnulli expectabunt. Rem tamen prorsus contrariam invenient. Historia ipsa varie traditur, de effectibus inter auctores parum, de causa proxima, non omnino, convenit. Litibus inter viros, experientia et studio multorum annorum adjutos, componendis, juvenis paucula raptim scribens minime est aptus. Nonnulla obscura igitur penitus praetermisi, alia in medio reliqui, et ubique, auctores, nec
veneratus

veneratus neque aspèrnatus, naturam pro virili respexi.

Omnia quae dicenda sunt ad quatuor capita redigentur, viz. 1mo, Phaenomena somni; 2do, Ejus causas remotas; et 3tio, Effectus. Ex quibus consideratis quid de causa proxima colligere liceat examinare, 4to, conabor.

C A P. I.

Post tempus brevius vel diuturnius, prout mos consuetudinem formaverit, vel labores praegressi fatigaverint, homo defetiscitur. Praeterita parum destincte reminiscitur, de praesentibus prave judicat; multaeque imagines imaginationi obversatae, inter sese commistae, animum ludunt. Philosophus jucunda scientiarum, quae alias avide prosequitur, nunc negligit; nec avarus divitias, nec libidinosus voluptatem, diutius curat. Attentio animi, voluntati minime obtemperans, ad rem quamlibet difficillime advertitur, et cito, homine frustra renitente, eam deserit. Motus omnigenus ingratu quieti posthabetur. Musculi fatigationi maxime

maxime obnoxii, oneri sustinendo impares evadunt ; unde genua stanti tremunt ; oscitatio fit frequens, necnon pandiculatio ; caput nutat, labuntur manus et brachia, et, si quid his comprehensum fuit, inscio elabitur * ; atque si dormibundus adhuc stare laborat, procumbit humi. Oculi jamdudum graves, gradatim conivent, et demum occluduntur. Auris diutius oculo vigil sonum omnino negligit, vel parum apte capit. Motus voluntarii expers, rerumque extremarum oblitus, mortalis demum somno obruitur.

Motus cordis et arteriarum durat, sed tardatur ; lentius et saepe cum stertore perficitur respiratio ; motus intestinorum perstat. Homo, inter profundum soporem, vel non omnino vel perperam sentit ; ficta, interdum verisimilia, saepius absurda, fere semper creduntur ; membra, imperium voluntatis plerumque aspernantur ; et iudicium saepissime hallucinatur.

Qui ante diem nascitur infans fere perpetuo sopori deditur. Infans maturus plus juvene, juvenis, plus adulto, dormit ; et senex, quod
ad

* Marrier, de Somno, p. 466.

ad plurima infanti fimillimus, subinde sopitur.

Plurima somnum spectantia consuetudine, cujus imperium nusquam magis valet, reguntur. Qui eadem hora cubare vel exurgere diu fuerint soliti, ii tunc somnum nec arcere nec protrahere facile possunt. Inter milites, tamen, nautasve, vigiliarum somnique nec die nec nocte discriminata tempora. Id, quod gerendis rebus superfit, quieti datum; ea neque molli strato, neque silentio arcessita.

Febribus vigiliave diuturna debilitati diutissime dormiunt; nec exempla defunt ubi sopor profundus complures menses duraverit. Exempla hujusmodi plerumque sunt morbida, ideoque nunc praetermittenda, ut et historia ejus Hispani, qui per longum vitae decursum vix unquam somnum iniit*.

Quo mens purior, corpusque sanius, eo somnus gratior et lenior. Namque, cum morbi hoc, vel vitia illam infestant, somnus vel aufugit, vel diris insomniis adeo turbatur, ut infelicem mortalem parum reficiat.

Lux

* Gooch's Cafes.

Lux aurorae, cantu avium, varioque strepitu comitata, stimulis internis adjuta, homines excitat. Expergefacti tamen, muniis vigilum plene obeundis non ilico apti evadunt. Oculi adhuc connivent, aures hebent, judiciumque torpet; at brevi, musculis extremarum partium iterum iterumque extensis, somnus penitus decedit.

Tempus quod fomno deditur variat pro fatigatione praegressa, pro statu valetudinis, praecipueque pro consuetudine.

C A P. II.

Causae Somni.

Hallerus bene notat, fomnum sequi vigiliam et labores vitae humanae. Modo irritatio morborum et pathematum absit, somnus fatigationem omnigenam, seu corporis, five animi, certe consequitur. Durus agricola qui quotidie in terra colenda versatur, miles strenuus, longo itinere vel acri praelio facto, nauta audax ventis marique agitatus, post labores peractos, cito obdormiscunt. Somnus adeo evadit necessarius,

ut

ut nulla pericula, nullus tumultus eum fugare queant. Nauta, qui malum scandit, undarum aestuantium oblitus, miles fragore et tonitru bombardarum, mortem minitantiū, parum commotus *, somno inviti obruuntur.

Labores animi non tam cito somnum inferunt, quia mentem dormibundi adhuc agitant, et ita somnum arcent; sed, si hoc non fit, somnus eos, aequae ac corporis, labores excipiet. Fatigatio igitur somnum necessario infert cunctis animalibus; multae tamen causae ejus adventum accelerant, vel levi fatigue praegressa, eum conciliant, quarum aliquot jam sunt recensendae.

Imo, Impressiones nullae vel leves somno favent. Qualiscumque sentiendi theoria placeat, hoc certo concedetur, res externas sensus quodammodo afficere, et harum impressionum absentiam somnum semper allicere. Ubi silentium ac tenebrae regnent, nisi morbus corpus vel affectus animum angat, nemo non fit somniculosus. Hinc gentes barbarae, ‘quoties bella non
‘ineunt, non multum venatibus, plus per otium
‘transigunt, dediti SOMNO ciboque. Fortissimi
‘mus

* Haller tom. v. p. 599. et auctores ibi citatos.

‘ mus quisque ac bellicosissimus nihil agens, de-
‘ legata domus et penatium et agrorum cura
‘ foeminis, senibusque et infirmissimo cuique ex
‘ familia, ipsi hebent; mira diversitate naturae,
‘ cum iidem homines sic ament inertiam, et
‘ oderint, quietem *.’

Sed silentium non semper somnum conciliat, ob nempe desidiam, vel affectus animi mortalem agitantes. Rebus ita sese habentibus, sonus isti, qui mentem sine agitatione occupant, mire sopiunt; itaque, in aulis tyrannorum, qui, rebus populi turpiter neglectis, se totos voluptati dediderunt, animum paventem a vita parum decora, factive cruentis revocare, et ita somnum invitare, non silentio, sed molli musice, mos erat. Alii omnes sonus, quotquot sunt, qui attentionem animi avocant, nec ad actionem ducunt, eundem edunt effectum. Hujusmodi sunt, apum susurrus, rivi lene fluentis murmura, zephyri arbores agitantes, vox turturis ab ulmo aërea gementis, oratio frigida de re neglecta, et alia insuper multa. Gutta aquae subinde cadens, sonumque levem emittens, in phrenitide ipsa somnum interdum allicit.

Memoria

* Tacit. de Mor. Germ. cap. xv.

Memoria semper tenendum est, consuetudinem hic ut alibi multum valere. Somnus oppidani strepitui ac tumultibus noctu assueti, quiete ruris rumpitur, et rusticola, inter varios oppidi fonos, fero obdormiscit, cito expergiscitur. Cuique usitata somnum accersunt. Nautis in cymba decubitus, et in mari navigatio, et littorum sonus, et undarum murmur, et ventorum bombus, et maris navisque odor. Musico tubarum exercitatio quietem affert, aut lyrae cantus, aut citharae *.

Motus lenis, aequalis, idem praestat. Pullus, capite sub ala condito, parumper celeriter circumactus, cito obdormiscit; infans vagiens motu cunarum brevi quiescit, et plerique in curru vel navi leniter, aequae, et constanter progrediente, fiunt somniculosiores.

Impressiones sedantes quoque, quales nempe proveniant a recordatione malorum praeteritorum, vel a descriptione eorum quae sunt somno ciendo apta†, eodem forsan sunt recensendae. Imo moeror et fatum instans, profundissimum

B soporem

* Aret. ex Van Swieten, tom. II. p. 336.

† Ad hoc probandum lege Thomson's Castle of Indolence.

foporem aliquando inferunt. Exemplum hujusmodi, in nupero bello civili, notabatur. Miles captus, cui innotuit diem crastinum fore sibi supremum, fopore eo usque obruebatur, ut nec tumultus certaminis nocturni, nec vox fortiorum fidelium, omnia pro ejus libertate moli-
torum, nec certa salus ei oblata, nisi post aliquantum temporis, excitare posset. Custos carceris Londinensis, Ackerman, vir admodum sagax, notat, se raro videre reum capitis qui nocte post damnationem dormiat, aut qui nocte ante lethum vigilet.

2do, Desideria vehementia expleta, dolorque decedens, somno quoque favent. Esuriens siti-
ensve difficillime dormit; qui tamen cibo vino-
que, iidem fere semper somno, sunt gravati.

Hinc omnia fere animalia post cibum sumptum dormitum eunt, vel, si mos aut negotia ventent, oscitant, minusve vivida evadunt. Cibo ingesto, stimulus famis tollitur, unde mortalis fiat ad somnum proclivis; praeterea tamen, ut Hallero, acumine judicii, non minus quam eruditione omnigena, insignito, placet, major copia sanguinis ad ventriculum versus fluit, et vasa cerebri quadantenus deplentur. Quantum au-
tem

tem vasa hujus depleta ad fomnum conferant, postea dicetur.

Marrher omnino aliter de hac re judicat, revulsionisque opinione rejecta, fomnum quem cibus ciet, accumulationi sanguinis in capite, ob nempe ventriculum tumidum, descensum diaphragmatis, et inde motum sanguinis per pulmonem impredientem, tribuit. Rubor vultus ac dyspnoea hanc opinionem quodammodo firmanant; sed somnus haud raro sequitur id cibi quod nec ruborem vultus, nec dyspnoeam efficit. Utcunque hoc sit, de re ipsa non ambigitur*.

Idem de Venere verum est. Libido, quodque animal vividum ac vegetum praestat, sed fatiata, tristitiam ac somni desiderium relinquit. Non modo philosophi sed pictores hanc rem eleganter exprefferunt†. Juvenis *ante* conspicitur vividus, fervidus, ardens; *post* tamen, habitus oris diversus, non idem vigor in vultu, nec vis eadem in oculis. Moestus suspirat, somnoque advenienti gratulatur.

Qui

* Tom iii. p. 474.

† Praecipue Hogarthius immortalis.

Qui diu doloribus fuerunt cruciati, ii in somnum profundum, dolore remittente, cito incidunt; quod in dolore dentium, abdominis, ac puerperii, quotidie observare est. Quanto acerbiores dolores, tanto profundior ac diuturnior sopor; unde qui tormentis inquisitorum fuerunt fere laniati, dies plures continuos saepe edormiant. In omnibus hujusmodi exemplis, dolor decedens jucundissimum ciet sensum; et, corpore praegressi doloris saevitia confecto, somnus facillime obrepit.

3tio, Pleraque quae corpus totum, partesve ejus, relaxant, somnum alliciunt; cujusmodi sunt tepidum balneum, fomentatio pedum, haemorrhagiae *, aliaque multa. Quin calida lavatio et haemorrhagiae corpus relaxent, nemo inficias ibit; et non modo somnus sed syncope eas nimias, vel gradu vel diuturnitate, consequitur. Tensio qualiscunque subito relaxata, partim ob dolorem distensionis levatum, partim ob corpus debilitatum, eisdem edit effectus.

Fomentum pedum gratissimos gignit sensus, et cum adeo lenis est ut animum parum excitet,
cum

* A duabus libris sanguinis amissi mors per somnum, Benevent. abd. morb. Is erat exitus Romanorum, qui venas sibi secabant perituri. Haller, t. v. p. 602.

cum sanguinem a cerebro derivat, cumque partes mire relaxat, somnum valde conciliat. Frigus pedibus admotum, ut omnes norunt, somnum diu abigit, ob sensum ingratum, imo dolorificum, et, Hallero iudice*, ob sanguinis nimiam copiam ad alias partes, praecipue ad cerebrum, appulsam. Calor externus, quatenus partes solidas corporis relaxat, et vim gignendi caloris internam minuit, somno favet; si tamen calor internus et actio arteriarum augeantur, somno obstat.

De frigore toti corpori applicato nil adhuc dictum, nec quid dicendum sit, bene constat. Hyeme saeviente, omnia animalia hebent, quaedam omnino torpent. Homo ipse frigori extremo diu obiectus, profundo sopore opprimitur, ita ut vix excitari queat. Citra hunc gradum tamen, frigus adeo non somnum invitat, ut procul abigat.

* Verba sunt, ‘Non dormiunt, quibus pars aliqua friget, dum interim caput calet. Iniquus inde sanguinis motus fit, et congestio ad cerebrum, et quies impeditur,’ t. v. p. 615. Antea, p. 603. idem dixit. ‘Ita, (i. e. ex frigore) dum sanguis introrsum refugit, congeritur in cerebrum—;’ et mox postea addit, ‘Ingruit ergo suavissima ad somnum invitatio,’ &c. Num hoc sibi constat? Licetne habere congestionem in capite pro causa cum soporis tum vigiliarum?

abigat. Dolorificum enim est, et animalia (nervi laedantur) ad actionem incitat.

4to, Causis denique somni permulta, quae narcotica nominantur, sunt annumeranda. Eorum plurimae extant varietates. Quaedam enim nervos nasi, alia ventriculi, afficiunt. Multa aromata ad priorem classem pertinent: ‘Etiam ex cistis caryophyllorum, et maceris apertis, somnus bajulos invasit.’ Fertur, fraudatores hodiernos in gallia pulverem nicotianae immiscere talem, qualem si quis naso adhibuerit, somno certissime corripietur, pecuniamque deperdet. Aër fumo carbonis, vel phlogisto undecunque orto, vitiatus, idem praestat. Hinc qui magno coetui in angusto conclavi clauso adfunt, interdum obdormiscunt, semper fiunt somniculosi, idque non modo ob calorem, sed ob aërem vitiatum; namque iidem, aequum caloris gradum, citra soporem, in aëre puro ferre queunt.

M. Allamand * hanc sententiam pulchro experimento illustrat. Animal quod singulis hiemibus, sub terra sepultum, torpere solebat, eduxit, et aëri libero, ita frigido ut aquam congelaret, objecit. Animal nihilominus adhuc
vigil

* Vide Smellie's excellent translation of Buffon, Vol. vii. p. 194.

vigil minime torpebat. Idem sub terrae superficiem demersum, et undique occlusum, intra paucos dies torpebat, iterumque aëri externo aequae frigido objectum, reviviscebatur; unde auctor colligit, torporem animalis non frigori unice, sed mutationi aëris respirati quoque, esse tribuendum.

Quae nervis ventriculi adhibita somnum movent, ea sunt admodum numerosa. Prae omnibus tamen opium eminet, cujus vis adeo est nota, cujusque dotes tanta cura indagatae, tantaque elegantia a Whytio, Monroio, aliisque recensitae fuerunt, ut nil hic dicendum iudicem. Qui plura cognoscere avert, eos ad auctores jam nominatos relegabo.

De iis narcoticis, quae corporis superficiei admota somnum cient, nil dicere audeo, quia nil certum de iis inveni. Crocum pro exemplo quidam proferunt.

Ex supra dictis, facile erit colligere ea, quae inimica somno evadunt. Impressiones validae undecunque ortae, animi attentio, sensus molesti, et plura ingesta (cujusmodi sunt thea et caffee,) huc sunt referenda.

C A P. III.

Effectus Somni.

Nunc ad partem, ubi plurimae difficultates urgent, pervenitur. Opiniones auctorum stant aliae contra alias instructae, nec facile est verum colligere, idve rite exprimere. Fere nil universe affirmare licet, tot extant exceptiones, quas omnes figillatim numerare, scribentem ac legentem aequae taederet. Haec omnia perpensa veniam erroribus conciliabunt; nam conatus hujusmodi laude esse indignos agnosco.

Imo, Sensus res externas non omnino vel perperam capiunt. Inter omnes constat, sensus externos de rebus externis, deque earum quibusdam proprietatibus, nos vigiles certiores facere. Inter dormiendum, attamen, res externae vel neutiquam, vel aliter ac inter vigilandum, percipiuntur. Cum palpebrae occlusae lucis aditum prohibeant, nemo visum expectaret; sed nasus et auris adhuc aperti conspiciuntur, cutis immutata manet; nec odor tamen, nec tactus, nec sonus, sensum movet.

Mor-

Mortalem tamen quodammodo affici, etsi citra sensum distinctum, multa commonstrant. Si quis, alio loquente, obdormiscat, colloquio durante, somnus durat, illo cessante, somnus facillime rumpitur.

Pari ratione, qui inter strepitus dormire solet, silentio subito facto, expergiscitur. Sunt quibus haec forma loquendi parum placet. Quin colloquii finis, sonorumve solitorum absentia, somnum rumpat, haud abnegant, sed affirmant, somnum aufugere ob statum cerebri subito mutatum, somnique fugam minime probare cerebrum antea fuisse excitatum. Quomodo tamen silentium subitum, statum cerebri mutare queat, ni sonus antea id quodammodo excitasset, difficillimum est intellectu.

Auris, secundum quosdam, diutissime vigilat; nec exempla desunt ubi quaestionibus dormienti optime auditis, clare fuerit responsum. Perceptiones hujusmodi a vigilantium valde differunt; quae enim vigilans tacuisset, eadem dormiens vulgat, nec memoria facti, somno fugato, manet. Siquis conabitur dormienti arcanum elicere, operam plerumque perdet, nisi ipse dormiens de re loquatur.

Musca, ex gr. corpus titillante, nullus sensus cietur, vel ineptus, ita ut de re penitus diversa dormiens somniet. Idem de sensibus intus oriundis est dicendum. Ventriculus crapula gravatus, vigilantibus fit perquam ingratus; dormienti autem somnium, horridum vel incubum inferi. Monstrum horrendum, cuilibet animali foedissimo simile, pectori insidere, idque ad strangulationem usque, opprimere videtur.

2do, Mobilitas omnium musculorum minuitur, ita ut voluntarii imperio voluntatis non pareant, involuntarii lentius moveantur. Plerumque inter somnum nullius voluntatis conscii sumus, et tunc nil de musculis colligere licet. Si manum vigilantis, e. g. attollas, nil voluntas exerceatur, membrum suo pondere proruet. Interdum tamen, uti postea plenius dicetur, voluntatis conscii sumus, cujus imperium musculi aspernantur. Qui somnio horrido terretur, immanem feram, vel hostem trucem, effugere saepissime cupit, adeoque laborat ut copia fudoris prorumpat, pectus anhelet, somnusque aufugiat.

* Ac velut in somnis, oculos ubi languida preffit

* Nocte quies, nequicquam avidos extendere cursus

* Velle videmur, et in mediis conatibus aegri

* Succ-

† Succidimus ; non lingua valet, non corpore notae

‡ Sufficiunt vires, nec vox nec verba sequuntur.*

Si voluntas oriatur a re qualibet externa, muscoli interdum obediunt ; sic, manus facillime tollitur ad id abigendum quodcunque pruritum efficit, et ad partem scabendam.

Musculi, qui vitalibus functionibus inserviunt, lentius moventur ; sed lis hac de re jampridem exorta nondum componitur. Sunt quibus placet pulsum esse inter somnum velociores, etsi major pars aliter sentit. Plurimae observationes stant utrinque, ex quibus, quippe contrariis, nil colligendum esse judico. Multa certe cura, frequentique iteratione, est opus, priusquam hoc modo verum attingere possimus. Si quis obdormiat, nonam circiter horam, pulsus forsan velocior evadet tres horas post, quam mox ante, somnum inceptum ; id tamen non a somno, sed a diurna mutatione corporis, oritur. Quinetiam, si quis, interdiu jejunos, copiam cibi potusque stimulantis noctu ingurgitarit, ejus pulsus velocior fiet postquam somnus accesserit, ac antea. Sed, caeteris paribus, pulsum somno retardari, affirmare audebo, quod quidem pleraque somnum spectantia suadere videntur.

Pulsus

Pulsus arteriarum, ut omnibus notum, ab actione cordis, et haec a stimulo sanguinis, penitus pendet. Ubi igitur sanguis lente ad cor reducatur, lente quoque exhibit. Quomodo nunc res sese habet inter somnum? Musculi voluntarii fere omnes quiescunt; ecce igitur unam tardioris reditus causam. Pathemata quoque, quae cor magnopere afficiunt, vim et irritabilitatem ejus augendo, tunc plerumque torpent. Nec ira ob injurias, nec laetitia ob suas vel amici res secundas, dormientem agitat, quae tamen, ut et reliqua pathemata excitantia omnia, sanguinis quantitate minime aucta, motuque voluntario eodem persistente, cor vigilantis ita afficere solent, ut ictus frequentiores et validiores cito deveniant. Cum igitur plurimi musculi quiescant, cumque cor stimulis pluribus destituatur, nemo, a priore, pulsum velociorem inter somnum expectaret.

Quae de pulsu jam dicta, de respiratione fere eadem sunt dicenda. Qui stat, vel recumbit quietus, ei respiratio mollis et lenta; sed qui strenue semet exercet quomodocunque, vel qui pathematibus acribus agitur, ejus pectus anhelum citissime movetur. Modo somnia absint.

sint autem, dormientes ex toto quiescunt, omniumque animi affectuum evadunt immunes.

Quin irritabilitas omnium fere muscutorum minuatur, nemo, phaenomenis rite perpenfis, dubitare potest. Rheuma, fauces vigilantis perpetuo titillans, dormienti nil molestiae faceffit. Lapis in ureteribus, vel in urethra haerens, doloremque ciens, tunc saepe sine dolore ejicitur. Sed num sphincteres relaxantur? Certe non adeo relaxantur, ut urina faecesve elabuntur; sed relaxatio sola huic rei non sufficit. Cum alvus deponitur, vel urina emittitur, quid fit quaeso? Num sphincteres solummodo relaxantur? Minime quidem, sed multi muscoli, simul agentes, contractionem sphincterum superant. Quod ad faeces, muscoli abdominis, una cum diaphragmate, magnopere agunt. Quantum urinam spectat, non modo muscoli abdominis, sed vesicae ipsius, sphincteris contractionem vincunt. Nonne tamen in febribus faeces et urina inscie elabuntur, ex nempe sphincteribus debilibus ac resolutis? Quin sphincteres in extrema debilitate ita relaxentur, ut faeces, quae plerumque fluidae sunt, sine nisu elabuntur, non abnego; res tamen saepius delirio quam debilitati est tribuenda. Æger,

ger, scilicet, delirans credit alvum vel vesicam esse sibi exonerandam, nifus fit, et inde evacuatio. Alias, animus ad rem attendendo videtur impar; alias, corpus adeo fit tenerum ac debile, ut aeger, immunditias motui cuilibet, anteferat.

Urinae incontinentia pendere videtur non tam a resolutione sphincteris, quam a superficie interna ita morbida, ut urina, etsi parum abundat, eam ad contractionem stimulet. Hinc frequens mictio. Ventus inter dormiendum saepissime elabitur, unde, ut et analogia ductus, sphincteres esse laxiores, verisimile judicem; non tamen adeo laxantur, quin urinae faecibusque retinendis sufficiant, quia, scilicet, ad eas evacuandas, voluntatis exercitio plerumque est opus. Ex minuta irritabilitate cunctarum partium, faeces ac urina, magis quam inter vigilandum, citra irritationem, accumulatur.

Ex supra dictis, calorem imminutum iri, facile erit colligere. Hunc cum circuitu connecti nemo ignorat. Si igitur pulsus ac respiratio dormientis fiant tardiores, calor haud dubie imminuetur. Observatio hanc opinionem confirmat; quem enim vestibus solitis obtectum
somnus

somnus invaserit, is cito frigescit in loco ubi vigilans, etsi quietus, sat calidus foret.

3tio, Cunctae secretiones somno minuuntur. Hae omnes a circuitu pendent, quo minuto, eae plerumque minuuntur. Os mane adeo arefcit, ut cum primum vigilaverit, homo gustando nil accurate distinguere possit. Etiam dum plurimum salivae, stimulo mercurii, fecernitur, nocte parum prae die effunditur. Nemo vigilans tantillum urinae, intra easdem horas, effundit, quantum dormiens fecernit. Memoria quidem tenendum est, copiam urinae ab ingestis multum pendere, et cum nil in somno ingeratur, quantitatem urinae necessario immiui. Ebrius, praecipue si potus calidus sit, subinde mingit, dum sobrius, post longum tempus, evacuationis parum indiget. His tamen concessis, licebit nihilo minus affirmare, dormientem minus quam vigilantem excernere.

Sudor somno saepe abundans, affirmationem quam nunc illustro, refellere videbitur. Sudor est quodammodo duplex; alterum genus a mera relaxatione, alterum ab aucta vasorum actione, pendet. Illud, in syncope, extremisque morborum stadiis, hoc, in exercitatione strenua, videre est. Quin igitur sudor inter dormien-
dum

dum abundet, ubi nempe cutis relaxatur, et ubi calor extrinsecus, ex onere stragulorum admodum augeatur, minime negandum, hoc tamen non somno ipsi tribuendum.

Ob minutas secretiones, obque alias causas, qui diutius aequo dormiunt, ignavi, torpidi, et haud raro obeſi evadunt. Fere omnia animalia ſomniculoſa pingueſcunt, et vice verſa. Philoſophus autem nunc vivit, qui credit ſomnum eſſe optimum rerum, cujuſque ſomnus, ad duodecimam uſque horam, ſaepe protrahitur. Ingenium ſat viget, ſed corpus pallidum ac debile videtur. Memoriae proditur, alium philoſophum, cui ſimilis opinio olim placuit, diutiſſime dormiviſſe, unde hebes factus, et lethargo demum correptus, obiit. Somnus per ſe igitur non ſaginat, ſed cibos nutrientes adjuvat. Num licebit affirmare, melius inter ſomnum concoqui? Pleraque animalia cibo plena, ſomnum ambire olim dictum, et gentes plurimas, maximam copiam cibi, mox ante ſomnum, ingerere eſſe ſolitas, nemo ignorat. Qui fit tamen, ut poſt decem horas ſoporis, homo non tantum eſuriat, quantum poſt ſex vigiliae? Nonne hoc probat, ſomnum valde concoctionem impedire? Minime quidem; appetitus cibi non ſolum ex
con-

concoctione, sed ex fatigatione et excretionibus pendet. Ubi igitur fatigatio nulla, excretionefque minutae sint, fames ferius adveniet.

Quin absorptio cibi quadantenus impediatur, non prorsus negare audeo; actio enim absorbentium ab actione muscutorum magnopere pendet; muscoli tamen, qui actionem lacteorum praecipue promovent, inter somnum adhuc agunt. Nonne semper respiratur? Nonne muscoli abdominis singulis respirationibus commoven-
tur? Sunt qui credunt, somnum esse tempus re-
sorptionis, quia diarrhoea ex tenui crassescit; noxia paludum effluvia plus habent periculi; et corporis pondus augetur*. Sed haec opinio rejecta, argumentum meum parum afficiet.

Sententia quoque est Stahlianæ, concoctionem et absorptionem chyli optime inter somnum perfici; sed ratio qua opinio nititur adeo est inutilis, ut refutationem vix mereatur. Animus rector inter somnum alibi parum occupatus, Stahlio iudice, ad intestina attendere poterat multo melius quam alias, ubi ad singulas partes corporis moventis erat attendendum. Ratiocinio

D ex

* Vide Haller, t. v. p. 597. Lancisius, &c.

ex toto rejecto, opinio nihilo fecius quodammodo vera. Cum irritabilitas omnium muscutorum minuatur, nonne motus peristalticus erit lentior? Certe, sed modo concoctio bene perficiatur, sat celer erit ad absorptionem chyli promovendam. Celerrimus motus intestinorum adeo nil confert ad corporis nutritionem, ut eandem multum impediat. Exemplum est lienteria.

4to, Effectus somni salutiferi reliqui sunt adeo numerosi, ut eos vix recensere possim, adeoque cogniti, ut nulla explicatione indigeant. Homo labori destinatus, perpetuae actioni omnino est impar. Musculi diutius aequo agentes tremunt, debilitantur; pulsus febricitat; mens parum viget. Dorsum dein dolet, appetitus prostermitur, et insania ipsa advenit. Etiam ferae domantur, si diutissime vigilare coguntur, et tyrannis meliorem modum animum recti tenacem superandi non invenit, quam somnum fugare.

Placida quies somni tonum musculis relaxatis reddit, pulsum moderatur, et vim mentis restituit, ita ut homo aptus renovando labori indies refurgat.

C A P. IV.

Nulla res aut difficilior aut inutilior, quam pleraque de causis proximis commenta invenitur. Si igitur voluntati obtemperare auderem, hanc rem totam silentio praetermitterem ; quaedam tamen adjiciam, ne ignaviae aut incuriae arguar.

Opiniones antiquorum hac de re erant abunde rudes ac incultae. Audacter finxerunt atque affirmarunt, parum anxii utrum opinio naturae veroque responderet, necne. Post motus diurnos, humores incrassescere et indetranseuntes difficilius, foramina quibus spiritus egredi solebant, claudere, credebant. Hinc somnus, attenuando humores, transitus antea clausos patefecit, et sic homines vigilando reddidit aptos.

Alii causam somni a vapore ex ventriculo exorto, et cerebrum afficiente, petebant ; alii a spiritibus partium externarum defessis, et ad cerebrum ut quiescerent decedentibus, quae omnia memorare, vix, refutare, nequaquam licebit.

Auctor nuperus, Graeca cruditione eo usque imbuitur, ut omnes eorum opiniones, utcunque
 vanas,

vanas, stabilire conetur. Uti causam somni redderet, theoriis mechanicis rejectis, varias species animarum, Aristotelem imitatus, induxit; quas, iis quibus vacat et libet, expendendas, lubentissime relinquam.

Parte cranii remota, cerebri membranae nudaе conspiciuntur. Cerebro pressio, sopor profundus invadit, qui, pressione sublata, brevi evanescit. Hoc experimentum, a multis Gallorum saepius iterarum; unde plurimis placuit, compressionem cerebri esse somni causam proximam. Sed multa huic opinioni fidem demunt. Quaerere licet, num somnus erat naturalis? Nonne magis apoplexiam quam somnum referebat? Praeterea, omiserunt ostendere quomodo compressio locum habere possit. Positus erectus minime favet congestionem in capite, et quo modo aliter compressio oriatur, vix constat. Nonne tamen dormituri plerumque decumbunt? certe; sed somnus opprimit stantes, sedentes, vel equitantes, ubi nempe nulla compressio fit expectanda. Quin et, si decubitus somnum inferat congestionem et compressionem, nonne mortalis debet esse somniculosior mane quam vespere, sanguine scilicet, nocturno decubitu, congesto, et cerebrum premente?

mente? Haec opinio igitur omnino rejicienda est.

De fluido nerveo plurimi loquuntur aequè libere et audacter, ac si oculis, aliisve sensibus, subjecissent. Si fluidum revera adsit, alia fluida, quotquot sint, parum refert.

Nervus ligatus, nec ultra nec citra ligaturam tumet. Nervo resecto, nullus humor exstillat. Multum igitur ab aquosis, vel aëreis fluidis, nerveum differre videtur.

Sed alia fluida restant multo subtiliora, quorum electricum est notissimum exemplum. Ne plura dicam, observetur, si ligatura injiciatur nervo, etsi structura integra sit, cursum hujus fluidi impediri; quod tamen non fit, quantum fluidum electricum attinet*. Licet hoc fluidum concedatur, philosophia vera exigit ejus proprietatum explicationem, priusquam phaenomena naturae exinde explicarentur. Hoc omisso, somnus

* Quid ex hoc experimento (dummodo unquam rite fuerit institutum) colligi debeat, vix novi: Nervus enim, prae ferro, tanto est mollior, ut pressuram, salva structura, ferre nequeat. Si tamen, mox post ligaturam sublatam, sensus motusque redeant, eorum absentiam compressioni soli tribuere licebit. Electricum fluidum autem, eo citius movetur, quo solidius fit metallum.

somnus temere tribuitur ejus inopiae, diurnis enim laboribus confumitur. Inter somnum, secretio augetur, et homo redditur muniis vigilantis obeundis iterum aptus.

Sed multa hanc sententiam undique subruunt. Somnus saepissime obrepit, cum fluidum abundat, uti post prandium. Cum dissipatur, paucae horae somni ejus secretioni sufficiunt. Cur igitur homines paulo post somnum inceptum non expergiscuntur? At fluidum accumulatur. Ubi et quomodo? Num omnes proprietates fluidorum, etiam diversorum, sunt ei tribuendae? Haec ipsa profusio, philosophis prorsus indigna, ne quidem rem explicabit. Cum accumulatio sit maxima, primo mane, homines tunc magis, quam circiter meridiem, vividi ac vegeti sint oportet. Hoc tamen adeo non fit, ut, per aliquantum temporis vix vigilant, oscitent, et ni res aliqua corpus animumve excitet, in somnum iterum relabantur. Sententia in Encyclopaedia Britannica tradita, ei jam memoratae haud absimilis. Ibi affirmatur, non modo cerebrum, sed nervos omnes, fluidum a sanguine absorbere. Hujus copia somnum arcet, inopia allicit, motus inaequales somnia gignunt. Auctor attamen oblitus

litus fuit dicere, quamobrem, post copiam cibi, mortales sint ad somnum adeo proclives, etsi, quantum videtur, fluidum abundare debeat.

Debilitas indirecta, pro causa proxima somni proposita, multis ejus phaenomenis abunde convenit; sed quid explicat? Quomodo ab opinione eorum quibus placet, causam somni proximam esse fatigationem, vel vim nervorum imminutam, differt? Numquam lucem novam huic rei obscurae affundit? Lingua est obscurior, ut oraculo convenit; sententia tamen omnino eadem.

Quin somnus oriatur a quadam mutatione nervorum, nemo, re recte considerata, dubitabit. Cum vasa capitis nimis sanguine abundant, vel cum vasorum actio fiat enormis, ut in phrenitide, cerebrum, uti videtur, ultra modum excitatur. Hinc delirium ferox, vis muscularis insolita, mira frigoris resistendi vis, et somni fuga. Cum cerebrum comprimitur, ut in apoplexia, motus voluntarii cessant, soporque profundus invadit. Multa, quae somnum movent, majore gradu adhibita, syncopen inferunt, ut in narcoticis odoribus, relaxatione partium corporis subita, multisque hujusmodi aliis, conspicitur.

Omnia

Omnia quae cerebrum stimulant, vel excitant, somni adventui inimica fiunt. Attentio ad rem quamvis, cerebrum sine dubio excitat, somnumque certissime fugat; impressiones validae a re externa seu interna; sensus ingrati, uti durus asperve lectus, prava concoctio cibi, vermes in intestinis, et similia insuper multa. Ex his multisque hujusmodi phaenomenis, Cullenus peritissimus, cui nulla pars medicinae non multum debet, considerat somnum, syncopen, ac mortem, tanquam diversos effectus ejusdem causae, non nisi gradu inter se differentes. Statum somni igitur collapsui vel immobilitati vis nerveae, vigiliae, excitationi, vel mobilitati ejusdem, tribuit; quae forma loquendi, quippe a nulla theoria de nervis pendens, est forsan omnium adhuc excogitarum optima. Si tamen longius quaeratur de natura hujus collapsus atque excitationis, omnino conticeo. Hic omnes theoriae deficiunt. Ad finem, vel si lingua rudī uti licebit, ad ultima facta ubique scientiarum perveniatur oportet. Quo propius tamen causas rerum accedamus, eo uberiores labores, excultiores scientiae, vitaeque humana ornatior et felicior, evadet. Interea, ea quae de somno explorari possunt, negligere vel vilipendere, quia omnia nondum plene deteguntur,

tur, foret aequè stolidum ac demonstrationes Newtonianas (si parvis magna componere liceat) respuere, quia causa attractionis adhuc latet.

De somniis pauca adhuc dicta; sed quoniam insignes interdum edunt effectus, quoniamque mutationes valetudinis vel sequuntur vel indicant, attentione medicorum omnino digna evadunt. Auctores metaphysici plurimas disputationes de eorum origine, natura, ac usu moverunt, quas plerasque, quippe dubias, obscuras, inutiles, longamque orationem exigentes, silentio praeteribo.

Definitio somniorum supervacanea est, quia vocabulum nemo non intelligit. Varietas eorum est permagna; res enim adeo absurdae ac enormes somnianti occurrunt, ut ipse, unde provenierint, miretur. Praeteritorum parum recordatus, cum mortuis vel absentibus colloquitur; falsa veris, ficta olim visis, mire miscet; imaginibus prorsus vanis atque absurdis terretur; fidemque omnibus dat. Res olim actae, diuque
E oblitae,

oblitae, dolorem vel laetitiam renovant; frequenter tamen, quae vigilem occupant, eadem somnianti obversantur. Hoc in proverbium abiit apud vulgus, quod quotidie dicere solet, 'narra mihi somnia, tuasque cogitationes diurnas narrabo.' Tyrannus timidusve, noctu non minus quam interdiu, periculorum ac insidiarum metu exagitantur; dux avidus pugnae acies dimicantes cernit; amator puellam dilectam miratur, suspirat, et

'Venator defessa toro cum membra reponit,

'Mens tamen ad sylvas, ac sua lustra redit.'

Quanto stupidior homo, quantoque profundior somnus, tanto pauciora somnia, vel saltem, rarior memoria. Homines fatui somniorum fere nunquam recordantur. Contra tamen, miles inter pericula degens, qui loca nova quotidie petit, mercator qui fures aut procellas pavet, et philosophus qui devia scientiarum lustrat, somniis saepissime turbantur.

Matutinum tempus est somniorum feracissimum, ita ut qui hora solita expergefactus, somnum iterum ambit, is plerumque somniet. Locke meminit adolescentis, qui nunquam conscius fuerat somnii, ante annum aetatis vigesimum

inum quintum, quo tempore, febre gravi fuit correptus.

Vir fama notissimus, insomniis diris ad annum aetatis quintum decimum usque, vexatus, eo se postea perduxit, ut somnia fierent multo rariora, minusque molesta. Capite tamen casu graviter icto, somnia denuo redibant.

Æger ex infania convalescens, et jam adeo bene se habens, ut dum plene vigil erat, nulla vel levissima signa pristini mali ostenderet, conquerebatur aliquandiu, eadem somnia vel cogitationes, quae antea die noctuque se tentaverant, et ad furorem adegerant, dormientem adhuc vexare. Custodes autem testabantur, eum inter somnum multum turbari, cumque insigni confusione, imo infania haud levi, sed fugace, expergisci.

Somniorum plurima sensui originem plane debent; sed vix inde colligere licebit, reliqua, quorum origo sit obscurior, eandem agnoscere. Exemplorum abunde praesto est, quibus tamen paucas observationes praeponere oportebit. Somnia initio semper premunt vestigia sensus unde oriantur, licet postea mire deflectant. Ille cujus pedibus calor admovetur, somniat se iter facere per torridas arenas, forsan per Ætnam, Vesu-

Vesuviumve ; cujus lingua, ardore febris aut hesterni vini arefcit, sibi videtur aquam desiderare, vel eandem avidissime deglutire ; cujusque penis tumet,

—— ‘ tum immundo somnia visu,

‘ Nocturnam vestem maculant, ventremque supinum *.’

Ideae autem inter se multimodis connectuntur. Siquis advenae illustri in theatro, ex. gr. affederit, quodocunque eum viderit, vel in memoriam revocaverit, non modo vultus ac vestimenta hominis, sed comites, ii quibuscum colloquebatur, ornamenta theatri, et alia multa,
magis

* Hoc exemplum quoque addidi, amore obscaenorum minime adductus ; sed, quia auctores aliter ac debent, id vulgo explicant. Sic loquuntur : Puellam imaginationi somniantis oblatam amplecti vult, partibusque voluntati obedientibus, res peragitur. Quin hae partes imaginationi vigilis mirum in modum obtemperant, nemo inficias ibit ; utrum tamen res ita sese, inter somnum, habeat, necne, parum constat. Hoc mihi veri videtur similis, sensus a partibus rigentibus ortus, imaginationem incendit, quae scenam conspectae vel speratae similem pingit, donec partes, quam maxime distantiae, demum solvantur. Hoc frequentissime fieri credo, etsi interdum somnium ab imaginatione oriri forsan possit.

magis minusve vivide, pro intervallo temporis, proque vi imaginationis, sponte succurrent *. Ea quoque est natura imaginationis, ut quamlibet feriem rerum, ad finem perducere semper laboret ; et cum in somno, voluntas eam minime cohibere potest, huc vagatur et illuc effraenata. Omnibus quas repraesentat fides datur ; imagines enim vividissimae apparent, quia scilicet, rebus externis somniantem parum afficientibus, iis ex toto deditur. In isto statu vigilis, qui *reverie* nominatur, fere eadem (praeterquam quod imaginatio imperium voluntatis magis agnoscat) ac in somniis deprehenduntur. Animus, dum omnia late silent, in unam rem intentus, ad finem festinat, rerumque externarum negligens, ficta pro veris habet.

Sensui qui somnio originem praebet, intus oriri licet ; ita, ventriculus gravatus, intestina vento tumida, dyspnoea, sanguis e corde difficile exiens, vel e cerebro difficile revertens, et alia huiusmodi multa, somnia horrenda, imo incubum ipsum, inferunt. Res externae attamen somnia quoque gignunt. Juveni dormienti contigit,

* Vide hoc elegantissime illustratum a M. de Formey ; Choix des memoires de Berlin, tom. iii. p. 106.

contigit, proxima hieme, audire musicen nocturnam. Melos erat dulcissimum, uti postea comperit; sed illi sonus omnino discors videbatur. Credebat se flumini adstare, apud cujus ripam viridem multi ruricolae conveniant, quorum alii sub umbra arborum confidebant, alii, indocto tibicine miserum disperdente carmen, saltabant. Silentio subito facto, expergefactus somnium mirabatur, donec instrumenta iterum canentia, ejus originem monstrarent.

Vox nota etiam somnium interdum ciet. In disputationibus Halleri, historia est mariti, qui queritur calliditatem uxoris, quae hoc modo omnia arcana ei somnianti elicere solebat: At quidam praetor militaris insignissimum hujusmodi exemplum praebet. Vir adhuc vivit, nulla fraudis vel erroris suspicio; multa enim rem testantur, multi perspicaces observabant, uti vir fide dignissimus me certiore fecit.

Praetorem in tabulato navis interdum dormientem focius, cui mos cognitus erat, sic allocutus est: ‘Bene natus, sed in periculo versaris. ‘Festinare melius erit.’ ‘Festinabo,’ respondebat dormiens, cujus vultus aqua inspergebatur. Socius mox addidit, ‘Num vides istud
‘ monstrum

‘monstrum immane, te, dente horrendo, cito
 ‘petiturum? Quin te sub undis mergis?’ Illi-
 co surgens, ni amici circumstantes continuis-
 sent, se praecipitem projecisset.

Iidem alias eundem descriptione praelii luse-
 runt. ‘Num vides acies instructas, et arma
 ‘utrinque fulgentia?’ ‘Video,’ respondebat
 somnians, nonnihil motus, ‘En tuam legionem
 ‘fociosque tuos. In prima acie statis, pugna
 ‘non erit vobis incruenta.’ ‘Ut videtur, non,’
 respondebat magis magisque commotus. Sono
 tormentorum imitato, gemitus quasi vulnera-
 torum audiebantur. ‘Ecquid accidit?’ dor-
 miens quaerebat. ‘Amicus tuus, qui prope ad-
 ‘stitit, cruento vulnere accepto, animam effla-
 ‘vit.’ Sonus similis iterum audiebatur, terri-
 toque roganti, ‘quid nunc?’ respondebatur,
 ‘magna est undique strages, et focius, qui prox-
 ‘imus stetit, occiditur.’ ‘Certe curram,’ pal-
 lidus ora, linguamque tremens, dixit. ‘Siste
 ‘gradum; annon mors honesta turpi vita me-
 ‘lior est?’ Colloquium rumpebatur novis so-
 nibus. ‘Ecquid nunc?’ majore terrore per-
 cussus, rogabat. ‘Eheu! eheu! vox flebilis
 ‘respondebat, vir omnibus carus, tibi quidem
 ‘carissimus, jam cecidit, et ecce cruore resper-
 ‘sus

‘ fus ante pedes volvitur.’ ‘ Mehercule nunc curram,’ magna voce exclamavit, e lectoque exiliens, per tentorium vel cubiculum aliquoties, priusquam expergesceret, discurrebat.

Ex his similibusque, quidam tribuunt somnia sensui imperfecto, in statu, somnum inter ac vigiliis, quasi medio, ibique subsistunt ; quos alii egredi annitentes, multas opiniones protulerunt. Quia eventus interdum somnio respondit, et quia tenebrae semper superstitioni fuerunt amicae, plerique barbari somnia diis tribuerunt, ejusque placita inde petiverunt. Praelia, supplicia extrema, rerumque momenta summarum, somniis vetulae, quam vatem vel fatidicam nominarunt, vertebantur, licet opinionem ejusdem vigilis plebecula ipsa sprevisset.

Baxter eruditus cuncta somnia, levia ac ridicula, haud minus quam gravia, angelis attribuit. Opinionem plene excutere non meum est, nec hoc necessarium habeo ; tot enim postulatis nititur, ut proprio pondere ruat.

Qui dividunt animam in varias partes, vel qui plures animas hominibus singulis largiuntur, iis placet, phantasiam somniantis vigilare, dum anima animalis et rationalis dormiunt, &c. Cum hoc ne quidem ulla ex parte intelligo, quousque

quousque iis qui intelligant rem explicare possit, dicere non audeo. Theoriae mechanicae hic quoque deficiunt. Unicum exemplum ab opere jam (p. 39.) citato proferam. M. de Formey omnem sensum cuidam motui nervorum, quem Gallice nominat ‘ebranlement,’ tribuit. Pars interior nervorum autem hunc motum facile admittit; itaque ‘ebranlemens’ somnum quoque comitantur, et inde somnia. Sententiam facundissime illustrat, multisque exemplis firmare conatur; at nihilofecius, non modo nil explicat, sed naturae videtur aliena †.

Quibus placet somnia ab imperfecta cerebri excitatione pendere, eorum duplex est ordo. Alii enim, partes diversas cerebri ac cerebelli, diversis usibus destinant, ita ut una pars sensui, altera motui, tertia cogitationi, &c. inserviat. Hisce omnibus simul rite excitatis, homo sentit, membra movet, judicioque utitur; una seorsim excitata, vel sensui, vel motui, vel cogitationi, soli fit aptus. E quibus tamen dissectionibus, vel experimentis, haec descriptio depromatur penitus ignoro.

F

Alii

† Vide hanc rem luculentissime tractatam a Gregorio cel. conspect. med. theor. p. 62. et seq.

Alii autem, usque eo quo priores, progredi minime ausi, opinionem sic illustant. Homo alias fat fanus, quod ad unam rem solummodo delirat. Homo mente captus, alia recte intelligit, alia nequaquam. Ita, cui cranium frangebatur, ille audivit medicos consultantes, verborumque fanus meminit, nunquam tamen in memoriam venit de seipso consultari. Eodem modo somnians, quaedam recte, plura tamen prave, dijudicat. Mendicula quae se reginam somniat, jure poscit ornamenta aurea, splendendam aulam, et satellites multos; cui tamen cogitationes tam apte cohaereant, ea nunquam (certe raro) meminit, vanam imaginem, se, adhuc mendiculam, ludere. Cum igitur omnis cogitatio ex cerebri excitatione pendet, cumque idem homo alias cogitationes bene, alias prave, alias non omnino prosequi potest, nonne convenit dicere, hujus cerebri partes varias varie esse excitatas? Hanc formam loquendi in medio relinquam; eam rejicere vel admittere penes quemque fit.

Quaestionem multum agitatam hic breviter proponam, homines semper somniant, necne? Qui somnia esse perpetua contendunt, in hanc fere sententiam loquuntur. Ea est natura animi, quae eum perpetuo cogitare cogit.

cogit. Quod erat expectandum a priore, id experientia probat; quacunque enim hora hominem excitemus, somnium, vel conscientiam somnii, narrat. Praeterea, multae cogitationes menti semet offerunt, ita ordinatae uti conscii sumus eas antea fuisse perceptas, adeo tamen obscurae, ut temporis meminisse nequeamus; haec omnia autem somnia fuerunt. Oblivio somniorum, his iudiciis, hanc opinionem, ob causas postea memorandas, minime subruit.

Locke, quem longum discipulorum sequitur agmen, contra hanc opinionem acriter invehitur. De futilitate cogitandi sine memoria, vir acer nec infacundus, more suo inculto, multa differit. Argumenta cuncta ex natura animae ducta, per se parum firma, facile proster nit, remque huc perducit: Homo nec somniare sine conscientia, nec conscius esse sine memoria, potest. Nulla memoria somnii igitur, nullum adfuisse indicat. Opinionem huic contrariam affirmare nolo, quia probare nequeo; sed vix dubitari potest, quin hic auctor sagacissimus ultra legem opus tetenderit. Namque multarum rerum indies sumus conscii, quas mox postea in mentem revocare vires superat. At, licet memoria distincta absit, conscii sumus,

nos

nos revera cogitasse ; post somnum, contra, nec cogitasse nec sensitse videmur. Nonne hoc absentiam somniorum plene probat? vix quidem. Homo vigil inter *reverie*, in obtutu eodem manet defixus ; roga repente, ‘ quid re-
 ‘ putas tecum?’ et respondebit ‘ nihil equidem.’ Num liceret affirmare, hunc nec sensitse nec cogitasse? hoc disputantibus utrinque displicet. Sed quid Locke diceret de iis qui loquuntur, qui canunt, resque multas, dormientes, peragunt, quarum omnium memoria perit? tot historiis jam prolatis, novas adjicere fere pudet ; sed meliorem modum hanc rem illustrandi non novi.

Vir a septimo mense aetatis oculis captus *, conviciis vulgi, qui non famam modo sed vitam ipsam petebat, laceffit, animique laboribus confectus, post prandium ibat dormitum. Pluribus horis elapsis, amico vocanti respondebat, et surgebat. Caenaculum ubi focii hilares confidebant ingressus, cum duobus tunc canentibus, concinuit. Eleganter, uti solet, nullo verbo omisso, cecinit ; ovum postea edit, vinum aliaque bibit. Amicis tamen parum attentus visus, mox secum colloqui coepit, sed adeo summis ac perturba-

te,

* Dr Blacklock.

te, ut nullum verbum intelligi posset. Denuo majori vi excitatus, subito saltu expergescebat, nullius rei memor. Annon huic dormienti conscientia fuit? Quomodo aliter accurate concinere potuisset? Nonne omnium mox obliviscebatur? Certe nemo judicium aut fidem viri suspicabitur. Omnes qui norunt judicium probant; fama meliore fundamento quam historia rerum fictarum nititur; nec quisquam verum magis amat, ve colitve.

Somnambuli quoque multa argumenta contra affirmationem Lockii subministrant. De his tot miranda narrantur, quot repetere nec audeo neque volo. Est interdum cur suspicemur artem in somnambulo, vel fraudem in auctore; licet enim illi, exhibendo, huic, narrando insolita, famam ambire. Unum exemplum nihilominus proferam, quod Archiepiscopus de Bourdeaux observavit, et auctoribus Encyclopaediae * Gallicae tradidit. Juveni, cui mos erat somnambulare, affidebat, ut rem, saepe auditam, ipse conspiceret. Juvenis surrexit, orationemque, accurate scriptam, clara voce legit, partes varias limavit, ornavit. Musicen quoque scripsit et perquam accurate. Oculi aperti erant, sed charta

* Vid. *Somnambule*.

charta densa, eos inter ac chartam, interposita, nec scribentem nec legentem impediēbat.

Alias, credens se ambulātem prope flumen, vidisse puerum periclitatum, quem ut aquae eriperet, illuc irruit; tunc in lecto nantem imitatus, pulvinar captabat, quo ad littus advecto, tremiscebat (hiems enim erat) vinumque poscebat. Aquam oblatam rejecit, vinumque iterum acrius flagitabat, quo accepto, quievit. Postero mane, nihil meminit, nec quod acciderat dictitantibus credidit.

Haec neque confirmare argumentis, neque refellere in animo est; ex ingenio suo quisque demat vel addat fidem. Multa tamen, certissima fide, commonstrant, memoriā non semper sequi conscientiam seu vigilantis sive somniantis; opus enim est quadam attentione animi, qua absente, memoria abest.

Quod somnium dormienti, qualibet hora excitato adesse videatur, forsan non multum ad rem pertinet; quia, quibusdam iudiciis, somnium longum, pluresque annos occupavisse visum, inter vocem primo auditam, plenamque somni fugam, intercedere potest. Incredibilem vim ac celeritatem imaginationis, auctores plurimis fabulis illustrarunt, quas nec referre

nec examinare nunc vacat. Hoc utique ex supra dictis colligere licebit, ea est argumentorum utrinque, atque rei ipsius natura, quae viros iudicio, ac candore aequos, in alterutram opinionem coget.

Plura de somnambulatione addere forsan parum refert. Eam, ut et somnia, quidam tribuunt somno minus profundo; sed,

1mo, Molimina tunc fiunt, iis, quae in somniis conspiciuntur, absimilia.

2do, Stimuli dormientem, seu somniet, five non, facile excitaturi, somnambulum vix afficiunt. Hic nudus frigori brumali obiectus, ille brachium acicula fossus, citra vigiliam fuit. Num adhuc conveniet nominare somnambulationem, statum somni minus profundum? Pluma, labia Galli somnambuli supra memorati, titillans, ad novum colloquium, at non ad vigiliam, duxit.

3tio, Somnambulus non modo non omnibus sensibus, sed ne quidem ullo, plene utitur. Quod menti haeret, id mirum videtur edere effectum. Si velint foribus exire, eas conspiciunt, claufas queruntur, ad fenestram currunt, unde se projiciant; fructus rogatos sentiunt et vorant, alias, non; omnia id quod mentem

tem agitat, spectantia, audiunt, intelliguntque, sed alia negligunt.

4to, Alia denique phaenomena sunt somniis adhuc dissimiliora. Somnambulus recordatur rerum in priore somnambulatione actarum, quas idem vigil nunquam recordari potuit nec poterit. Liceat enim in somnum iterum incidere, et omnium obliviscetur. Pauca tamen somnia sunt quae animum ita movent, ut corpus ipsum valde afficiatur, quae non facile recordari possumus. Praeterea, somnambulus subito excitatus, diutissime stupidus manet; huc illuc oculos volvit; nec aliquantisper intelligere potest, ubi sit, aut quid agatur.

Sunt qui habent mendosam theoriam nulla meliorem, quibus cum non assentior, vix affirmare audebo, somnambulationem a somno minus perfecto solo pendere, etsi mutationem unde pendeat detegere nequeo. Maniam, quod ad plurima refert, hoc tamen rem neutiquam explicat.

Ufus quorundam somniorum abunde patet. Si cui inepte cubanti, circuitus sanguinis turbetur, is forsan somniabit se praecipitem deferri in undas, quo sensu vigilabit, positumque mutabit. Quid tamen de istis somniis levibus ac ridiculis,

diculis, quae nec somnum rumpunt, neque animum delectant, dicendum, quaeso? Haecne quoque benigno consilio naturae, dies noctesque saluti hominum consulentis, sunt tribuenda?

Somnia non esse negligenda, multa suadent. Quem horrida identidem laceffunt, is vinum et crapulam vespertinam effugiat. Caput semper elevetur, nec nimium sit stragulorum onus. Qui incubo vexatur, is apoplexiam, paralyfin, et hydrothoracem metuat, et omnia quae movere solent, caveat. Sint voluptates modicae et exercitatio constans.

Judicium medici, somniis saepenumero adjuvatur. Somnus lenis, placidus, post plurimos morbos, inter prima signa valetudinis redeuntis conspicitur, uti post febres ac hypochondriasin quotidie videre est; somnus contra, diris et insolitis imaginibus turbatus, morborum est frequens praecursor atque comes.

G Ante

* * * * *

Ante finem factum, grates gratissimas, viro admodum reverendo ROBERTO HAMILTON, Theologiae in Acad. Edin. Prof. Emerito, agere juvat. Ob amicitiam intemeratam, qua me, ab initio usque studiorum, fuit dignatus, ob consilia amica, benevola, acrimoniae et adulationis aequae immunia, quantum debeam equidem, nunquam rependere potero.

Grates publicas quoque CULLENO celeberrimo reddere liceat. Animum quem doctrinae eximiae, per biennium haustae, gratum effecerant, complura officia amica gratiorem effecerant, nec scio an eruditionem ejus latissimam, judicium acutum, an mores amabiles, magis admirer.

Erga GREGORIUM, qui hanc dissertationem eo animi candore, eaque judicii vi, quibus eminet, perlegit ac emendavit, animum gratissimum semper geram. Is egregius juvenis, simul ac docere coepit, ob nempe patriam famam, omnes in se convertit; dein brevi effecit, ut pater

in

in se minimum momentum, ad favorem conciliandum, esset.

Denique, liceat mihi fideli alumno, huic academiae almae optima vovere. Diu intra ejus pomaeria floreant Professores, aemuli eorum quos nunc, Europae miranti, Patria exultans ostendit.

F I N I S.

C O R R I G E N D A.

Pag. 1. 1. 6. *pro* abdormiscit *lege* obdormiscit

2. 7. *pro* fomno *lege* fomnus

4. 11. *pro* extremarum *lege* externarum

18. 6. post somnium dele ,

28. 10. *pro* iterarum *lege* iteratum

in se minimum morantur, ad favorem consilii
liberum, effect.

Itaque, licet nonnulli alii, hinc ac-
demus alius optare voverit. Ita intra eius
potestatem, hoc est, Profectores, etiam eorum
Intra, nunc, Europae mittunt, Paris exultans
collebat.

Itaque, nunc, Europae mittunt, Paris exultans
collebat.

Itaque, nunc, Europae mittunt, Paris exultans
collebat.

Itaque, nunc, Europae mittunt, Paris exultans
collebat.

Itaque, nunc, Europae mittunt, Paris exultans
collebat.

Itaque, nunc, Europae mittunt, Paris exultans
collebat.

Itaque, nunc, Europae mittunt, Paris exultans
collebat.

Itaque, nunc, Europae mittunt, Paris exultans
collebat.

Itaque, nunc, Europae mittunt, Paris exultans
collebat.

Itaque, nunc, Europae mittunt, Paris exultans
collebat.

Itaque, nunc, Europae mittunt, Paris exultans
collebat.